46.)

Doctiſſimo Viro Johanni Heſſo Parocho Uratislaviensi.

Quanquam mihi non sis de facie cognitus, tamen hic adeo nomen tuum inclaruit, ut ipſe Doctorum omnium alioqui studioſiſſimus statuerim, tibi etiam innoteſcere. Atque cum nunc mihi per alias occupationes non liceat tecum per literas atque ego vellem, agere; Illud saltem te nunc rogatum velim, ut in his mihi operam tuam accommodes, in quibus ut istic omnes facile superas, ita nisi te alium mihi neminem melius conſulturum puto. Sunt mihi nonnulli emendi libri, quorum hic summa est penuria nec haberi nisi Cracoviae poſſunt. Vellem itaque hunc quia ea potiſſimum cauſa isthuc est à me miſſus, conſilio adjuvares tuo, curaresque ut quicquid novi post Hiperaſpisten prodiit ab Eraſmo vel Luthero in conſilio tuo meâ pecuniâ emat; fieri poterit, ut tuo huic officio reſpondere ego quandoque poſſim, quod me jam inde ſemper facturum tibi recipio. Vale. Et operâ viciſſim utaris meâ. Caliſsij. 15. Calendas Decembris. 1526.

Johannes à Laſco Decanus Gneſnenſ.
manu propria ſed volante.

47.)

Praeſtanti Viro Johanni Heſſo Theologo cum docto tum pio, amico ſincero.

S. D. Quoniam ſemper extitiſti homo officioſus Heſſe noster, quo nomine plurimos tibi devinxiſti. Hujus rei gratia ſimul ob veterem noſtram amicitiam. Rogo ſcribas mihi de rebus multis. Quid agatur in Italia. demens quo ruat demens vij. quam potens sit Caesar contra hoſtes Imperij; ſervetne fidem Gallus novo mirando, quo ſtatu

habeat Hungaria. Vereor nimium verum esse optimum juvenem, cujus dextra hanc meam pressit, Regem Ludovicum in prelio occisum et utramque Pannoniam subactam à sanguinario Tyranno, cujus vires mediocres dum contempserint nostri, jam ejus magnitudinem ferre non possunt. Vehementer me movet inconstantia Germanorum. In memoria habemus Hesse, quantum horrorem incusserit populo Germanico paucis ante annis solum auditu perreptum nomen Turcae. Jam mutato metu plerique liberatorem expetunt; ita sordent presentia et futura stulte appetuntur. Adversant sane et ditem suam libertatem, quam majores nostri suo sanguine asservarunt. displicuit ramis truncus Regis. Liconia rerum potitus sine discrimine passim .... suo imperio usus est. Idem malum sibi accersunt incogitatissimi homines. Si nil volent sacre historia, sinant et saltem bestiam apologis moveri. Sitila fert columen vratium peccatis imedicabilibus feramque rerum mutationem. Ipse fermè de Germania desperavi scissa in tot dissidia, quae si velit per concordiam suas vires sociare: actum esset de Turca. Tu cave ne sileas. In his tenebris septentrionis parum videmus, pauca audimus, pluribus offendimur. Ista tecum colloquor è senaculo dum consultamus et audimus litigantes. De credito et mala fide Princeps, inquit quid scribis Crote . Confabulor cum Hesso. Huic oportune jubeto nomine meo salvere, et sit excusatum silentium nostrum. Adducitur autem Hesse in causam excusationis filum sericum. non sum mystes, et ista vestra arcana haud novi, fortasse est arcanum aliquid rei uxoriae, cujus vos conjuges soli conscii estis. Nil adore excusat, esto solatium principi meo quid volent in conjugio filum sericum. Cura literas meas cum fide offeras Metzlero. Sure vis, qui vivam, utor bona valetudine sed regione ter displicente. Raptissime ex medio collegio 11. die oct: 1526.

Tuus Crotus.

Muliang obiit dimidium animae nostrae nec tyr seniviris suo roga dominum, quo me liberet à daemonibus borealibus.